

Henricus dei gratia Rex Anglie et Francie et Dominus Hibernie Omnibus ad quos presentes littere pervenerint salutem. Inter cetera per que regnantum et regnorum exaltacio percuratur ac subditorum consulitur commodis et quieti, illud videtur attendenda consideratione' precipuum ut in ipsorum regnorum regimine potencia et sapiencia que de fonte liberalis | sciencie potissime derivantur sua communicent officia et mutuose supportent. Nam potestas militaris nisi fuerit per sapienciam huiusmodi regulata de facili deviat et velut navis sine gubernaculo procellis exposita cito perit, et visum est communiter accidere quod ubi studium scienciarum et sapiencie plus invaluerunt illuc floruit eminentius milicia | secularis, et abcedente huiusmodi studio milicie strenuitas occasui subiacens est secuta. Sane cum universitas nostra Cantebriigiensis velut fontis alveus rore sciencie liberalis regnum nostrum Anglie eminentissime resperserit et sicut vitis habundans multos in vinea domini procreaverit palmites fructuosos, viros videlicet literatissimos, per quos | tam ipsum regnum quam eius sacerdocium decoratum est et multipharie roboratum. Nos ad fructum uberrimum quem ipsa universitas nostra mater et alitrix virorum in lege divina et humana omnibusque scienciis liberabilibus mirabiliter imbutorum in dei ecclesia ex semine sacre doctrine sua fecunditate produxit et quem nobis et regno nostro in | consiliis et negociis protulit hactenus et allatura est infuturum nostre considerationis intuitum dirigentes ac perpendentes ipsam tanto avidius velle sui seminis fructum diffundere quanto se cognoverit alimentis propriis commodius habundare: ad honorem omnipotentis dei in cuius manu corda sunt regum beatissime et intemerate | Virginis Marie matris Christi necnon gloriosi confessoris et pontificis Nicholai infrascripti Collegii Patroni, in cuius festo in hanc lucem primo editi sumus, extirpacionemque heresium et errorum qui quasi totum respurguntur in orbem et solemnum regnorum ac universitatum pacem perturbant regnumque nostrum Anglie | in aliquibus eius suppositis violarunt quorum ab invencionibus universitas nostra predicta immaculatam se continue observavit; augmentum Cleri decoremque sacrosancte matris ecclesie cuius ministeria personis sunt idoneis committenda que velut stelle in custodiis suis lumen prebeant et populos instruant doctrina | pariter et exemplo, quoddam collegium perpetuum de uno Rectore et duodecim Sclaribus, seu pluribus vel paucioribus prout casus evenerit secundum ipsius collegii facultates et expensas ampliandum vel diminuendum, iuxta statuta et ordinationes inde per venerabiles presides W. Lincoln et W. Sarum episcopos, Willelum Lyndewode | custodem privati sigilli nostri ac Johannem Somerseth' Scaccarii nostri et Johannem Langton' universitatis predictae cancellarios dum vixerint ipsorumve maiorem partem et post decessum alicuius vel aliquorum eorum per ipsos qui supervixerunt seu per eorum sic supervivencium maiorem partem, condendi statuendi faciendi et stabiliendi, in dicta universitate nostra moraturis, ad studendum et orandum pro salubri statu nostro dum vixerimus et pro anima nostra cum ab hac luce migraverimus, necnon pro animabus inclitorum patris et matris nostrorum cunctorumque progenitorum nostrorum et omnium fidelium defunctorum, super quoddam solum nostrum iuxta Novas Scolas Theologie et iuris canonici in vico Sclarum ville nostre Cantebriigiae, super | cuius quidem soli parcellam sive porcionem unum pistrinum cum aliis domibus annexis modo construitur, quod quidem solum abuttat in una parcella ad unum caput versus orientem super quandam vacuum placeam pertinentem cantarie ecclesie beate Marie Cantebriigiensis iuxta forum et in alia parcella similiter versus orientem super dictas

novas scholas, | et in alia parcella similiter versus orientem super dictum vicum  
scolarium, et in alia parcella similiter versus orientem super tenementum collegii  
corporis christi dicte ville et super tenementum magistri et fratrum hospitalis sancti  
Johannis eiusdem et super tenementum Roberti Lincolne de Cantebriggia, et abuttat  
ad aliud caput versus occidentem super regiam viam nostram vocatam Milnestrete | in  
parochia sancti Johannis Baptiste ex opposito Aule Sancte Trinitatis et Aule de Clare  
Cantebriggensis, et abbutat in una parcella ad aliud caput versus boream super  
quandam parvam venellam subtus gardenum collegii sancte Marie vocati Gunwilhalle  
que ducit ad Scolanas, et in alia parcella similiter versus boream super quoddam  
solum pertinens universitati predicte, et abuttat ad aliud caput versus austrum in una  
parcella super tenementum Thome Fordham quod nuper fuit Johannes Chaucers, et in  
alia parcella similiter versus austrum super quoddam tenementum Willelmi Syngham  
clerici vocatum Goddeshous. Quod quidem solum integrum Johannes Fray capitalis  
Saro predicti Scaccarii ac dicti Johannes Somerseth | et Johannes Langton nobis nuper  
dederunt habendum et tenendum nobis et heredibus nostris imperpetuum. Ad  
huiusmodi collegium super eodem solo construendum et fiendum duximus erigenda  
ac realiter et in facto tenore presencium erigimus fundamus facimus et stabilimus  
perpetuis futuris temporibus duratura, ac Magistrum Willelmum Millyngton, sacre  
pagine professorem, | Rectorem et pro Rectore ipsius collegii Johannem Kirkby et  
Willelmum Hatkliffe Scholares residuos eiusdem collegii, per nos electos et ad hoc  
assumptos secundum ordinationes et statuta, inde per predictos Episcopos ac  
Willelmum Lyndewode, Johannem Somerseth et Johannem Langton ut predicatur,  
faciendi regendi corrigendi privandi et ammovendi, profecimus creavimus et |  
ordinavimus perficimus creamus et ordinamus per presentes; volentes et concedentes  
quod iidem rector et Scholares et successores sui Rectores et Scholares eiusdem Collegii  
iuxta ordinationes et statuta, ut promittitur fiendi, eligere congregare et admittere  
poterunt sibi plures Scholares secundum ordinationes et statuta predicta, regendi  
corrigendi privandi | et ammovendi, quos quidem Scholares et successores suos sic  
electos congregatos et admissos secundum huiusmodi ordinationes et statuta, regendi  
corrigendi privandi et ammovendi, Scholares esse ipsius Collegii et tanquam Scholares  
et membra eiusdem Collegii haberi teneri et in omnibus reputari volumus et  
concedimus pro nobis heredibus et | successoribus nostris imperpetuum per presentes;  
et quod prefato Rectore cedente vel decedente seu quacumque de causa inde ammoto  
seu privato, Scholares residui eiusdem Collegii ibidem pro tempore existen' secundum  
formam et effectum ordinationum et statutorum huiusmodi, ut predicatur fiendi,  
alterum idoneum virum in Rectorem et pro Rectore eiusdem Collegii | de tempore in  
tempus eligant et eligere possint, quem sic in Rectorem electum post eleccionem de se  
factam in Rectorem et pro Rectore eiusdem Collegii per Cancellarium predicte  
universitatis et successores suos pro tempore existentes, et non per vos [= nos] neque  
heredes vel successores nostros tenore presencium, duximus admittendum et  
confirmandum et secundum ordinationes | et statuta predicta, regendi corrigendi  
privandi et ammovendi; et quod huiusmodi Rectoribus cedentibus vel decedentibus  
aut quoquo modo exinde privatis seu ammotis infuturum habeant dicti residui  
Scholares Collegii antedicti et habere possint iuxta ordinationes et statuta, ut  
promittitur fiendi, liberam eleccionem novorum Rectorum Collegii supradicti, quos |  
in Rectores Collegii illius modo et forma prenotatis admitti et confirmari ac in

Rectores eiusdem Collegii sui admissos et confirmatos et secundum ordinationes et statuta predicta, regendi corrigendi privandi et ammovendi, Rectores esse perpetuos eiusdem Collegii absque licencia de nobis heredibus vel successoribus nostris inde petendo vel proseguendo et | non alios neque alio modo volumus et concedimus pro nobis heredibus et successoribus nostris quantum in nobis est imperpetuum per presentes; volentes insuper et concedentes quod Scholaribus eiusdem Collegii cedentibus vel decedentibus aut exinde privatis vel ammotis aut eorum aliquo cedente vel decedente aut exinde privato seu ammoto quoquo modo in futurum | habeant dicti Rector et Scholares et Successores sui predicti imperpetuum iuxta huiusmodi ordinationes et statuta liberam electionem et confirmationem novorum Scholarium in eorum loco ponendorum absque licencia inde de nobis heredibus vel successoribus nostris petenda vel proseguenda infuturum, quos sic electos, admissos et confirmatos et non alios Scholares esse Collegii predicti et tanquam | Scholares et membra eiusdem Collegii haberi teneri et reputari secundum ordinationes et statuta illa, regendi corrigendi privandi et ammovendi, volumus et concedimus imperpetuum per presentes; volentes ulterius et concedentes quod Rector et Scholares antedicti pro tempore ibidem existentes et eorum successores imperpetuum Rector et Scholares Collegii Regalis sancti Nicholai | De Cantebriggia imperpetuum nuncupentur. Et ulterius volumus et concedimus quod Rector et Scholares Collegii antedicti simul pro tempore existentes et successores sui per nomen vel sub nomine Rectoris et Scholarium Collegii predicti sint persone habiles capaces et perpetue in lege ad impetrandum recipiendum et acquirendum terras tenementa redditus servicia advocaciones ecclesiarum iura | possessiones proficua commoditates et emolumenta spiritualia et temporalia quecumque, tam de nobis heredibus et successoribus nostris quam de aliis quibuscumque, licet ea immediate de nobis vel heredibus nostris per servicium militare aut alio modo quocumque teneantur, habendum et tenendum eisdem Rectori et Scholaribus Collegii predicti et successoribus suis imperpetuum, statuto | de terris et tenementis ad manum mortuam non ponendis edito non obstante. Et quod iidem Rector et Scholares et eorum successores imperpetuum habeant unum sigillum commune pro negociis causis et agendis suis serviturum, ac insuper quod ipsi et successores sui predicti per nomen predictum placitare possint et implacitari ac prosequi et defendere omnimodas causas querelas et | acciones reales personales et mixtas cuiuscumque generis fuerint vel nature, ac eis respondere et in eisdem responderi valeant sub nomine predicto coram nobis et heredibus nostris, ac eciam coram Justiciariis et Iudicibus secularibus et ecclesiasticis quibuscumque. Et ulterius dedimus et concessimus ac eciam damus et concedimus pro nobis heredibus et successoribus nostris predictis | per presentes prefatis Rectori et Scholaribus et successoribus suis predictum solum, tam pro domibus et edificiis supradicto collegio necessariis quam pro eorum mansis sive mansionibus et aliis necessariis suis, in et super eodem solo construendum et faciendum, habendum et tenendum eisdem Rectori et Scholaribus et successoribus suis in liberam puram et perpetuam elemosinam imperpetuum, | statuto predicto non obstante. preterea concessimus et licenciam dedimus prefatis episcopis, Willemo Lyndewode, Johanni Somerseth et Johanni Langton, quod ipsi quinque dum vixerint seu eorum maior pars et post decessum alicuius vel aliquorum eorum ipsi qui supervixerint seu eorum sic supervivencium maior pars ordinationes et statuta predicta corrigere emendare | reformare seu totaliter

mutare et cum eis dispensare, ac nova ordinaciones et statuta pro bona et sana gubernacione collegii prenotati facere poterunt vel potuerint iuxta que Rectores et Scholares Collegii prelibati extunc in collegio predicto futuri et existentes regi et gubernari deberent ac modo et forma prenotatis ammovendi et privandi existerent. Ac cum dilectus | nobis Cancellarius, Magistri et Scholares universitatis predictae quibus nuper per litteras nostras patentes concessimus quod manerium de Ruyslep in Comitatu Middx cum una placea vocata Northwode, ac etiam cum omnibus terris tenementis redditibus serviciis boscis pratis pasturis agistamentis forestarum perquisita cum finibus amerciamenti pannagiis redditibus vocatis Palfrey silver | vendicione boscorum annuatim consueta, ac cum omnibus aliis perficuis commoditatibus et pertinentibus dicto manerio spectantibus; quod quidem manerium una cum placea et ceteris premissis in eisdem litteris specificatis Magister Johannes Somerseth ad tunc tenuit ad terminum vite sue ex concessione nostra eidem Johanni ad eundem terminum per nos prius facta, et quod quidem manerium | una cum eisdem premissis ad nos et heredes nostros post mortem eiusdem Johannis Somerseth reverti deberet, post mortem eiusdem Johannis prefatis Cancellario, Magistris et Scholaribus remaneret habendum et tenendum sibi et successoribus suis in liberam puram et perpetuam elemosinam imperpetuum. Quibus etiam Cancellario, Magistris et Scholaribus per alias litteras nostras patentes | concessimus quod maneria de Magna Okebourne et Parva Okebourne in Comitatu Wilts., alias dicta Maneria Magna Okebourne et Parva Okebourne, parcella Prioratus de Okebourne, alias dicta Maneria sive Prioratus de Okebourne Sancti Georgii et Sancti Andree, seu quibuscumque aliis nominibus eadem Maneria et Prioratus in aliquibus recordis inde habitis censeantur, | que quidem Maneria sive Prioratus cum franchisesiis libertatibus warennis escaetis finibus habietis releviis terris tenementis redditibus serviciis vendicione boscorum annuatim consueta, ac cum omnibus aliis pertinentiis ad Maneria et Prioratum predicta quovismodo spectantibus dilectus nobis Johannes Saintlo, unus armigerorum pro corpore nostro, ad tunc tenuit pro termino vite sue ex | concessione nostra, eidem Johanni Saintlo ad eundem terminum inde facta, et que per et post mortem eiusdem Johannis Saintlo seu quavis alia de causa in vita eiusdem Johannis Saintlo ad nos et heredes nostros reverti accidere seu quovismodo pertinere possent et deberent et que post mortem eiusdem Johannis seu alias in vita sua cum ea nobis quovismodo | reverti accidere seu pertinere possent, prefatis Cancellario, Magistris et Scholaribus et successoribus suis Cancellariis, Magistris et Scholaribus universitatis predictae cum franchisesiis et aliis premissis in eisdem litteris specificatis remaneret, habendum et tenendum eidem Cancellario, Magistris et Scholaribus et successoribus suis predictis de nobis et heredibus nostris predictis in liberam | puram et perpetuam elemosinam imperpetuum, de eisdem reversionibus virtute concessionum nostrarum predictarum eidem Cancellario, Magistris et Scholaribus ut promittitur factarum seisiti, easdem reversiones per quoddam factum suum nobis et heredibus nostris postea concessissent ad intencionem quod nos easdem reversiones prefatis Rectori et Scholaribus Collegii prelibati, habendum et | tenendum sibi et successoribus suis predictis, de nobis et heredibus nostris predictis in liberam puram et perpetuam elemosinam imperpetuum graciose concedere dignaremur. Sciatis quod nos premissa debite ponderantes de gratia nostra speciali et ad effectum quod iidem Rector et Scholares et eorum successores in erudicionibus suis ac piis eorum

orationibus melius manuteneri valeant et sustentari, | concessimus prefatis Rectori et Scolaribus Collegii prenotati quod dictum Manerium de Ruyslep una cum dicta placea vocata Northwode, ac cum omnibus aliis premissis in dictis litteris nostris patentibus, prefato Johanni Somerseth ut premittitur confectis specificatis quibuscumque nominibus dicta Manerium et placea et cetera premissa vel aliqua premissorum in aliquibus recordis inde | habitis vel alio modo censeantur, quod idem Johannes Somerseth, virtute concessionis nostre predictae sibi inde ut premittitur facte, adhuc tenet ad terminum vite sue et quod ad nos et heredes nostros per mortem eiusdem Johannis, virtute dicte concessionis nobis ut premittitur facte reverti deberet, remaneat prefatis Rectori et Scolaribus Collegii predicti et successoribus suis post mortem | eiusdem Johannis seu quacumque alia de causa, ad nos et heredes nostros in vita ipsius Johannis accidere seu pertinere posset vel debere, habendum et tenendum sibi et successoribus suis predictis de nobis et heredibus nostris predictis in liberam puram et perpetuam elemosinam; ac eciam concessimus eisdem Rectori et Scolaribus quod dicta Maneria de Magna Okebourne et Parva Okebourne | sive Prioratus de Okebourne quibuscumque nominibus Maneria illa sive Prioratus ille ut premittitur censeantur sive censeatur, una cum franchesiis et ceteris premissis in dictis litteris nostris patentibus, prefato Johanni Saintlo ut premittitur confectis specificatisque, prefatus Johannes Saintlo ut promittitur tenet ad terminum vite sue et que post mortem eiusdem | Johannis Saintlo ad nos et heredes nostros reverti deberent, post mortem eiusdem Johannis Saintlo seu alias in vita sua cum ea nobis quovismodo reverti accidere seu pertinere poterunt vel debebunt, eisdem modo et forma prefatis Rectori et Scolaribus dicti Collegii et successoribus suis remaneant, habendum et tenendum sibi et successoribus suis predictis de nobis et heredibus | nostris predictis in liberam puram et perpetuam elemosinam imperpetuum, absque aliquo nobis vel heredibus nostris inde reddendo statuto predicto aut aliquo alio statuto sive ordinatione in contrarium facta, seu eo quod expressa mencio de vero valore annuo Maneriorum predictorum sive Prioratus predicti et ceterorum premissorum in presentibus facta non existit, aut eo quod Maneria et Prioratus | predicti de nobis tenentur in capite, aut eo quod aliqua mesprisio, defectus sive omissio, aut indebita seu minus vera recitacio aliquarum **gratiarum 0000** seu concessionum nostrarum predictarum in recitacione nostra predicta facta aut aliquo iure seu titulo quod ad nos **virtute 0000** alicuius iuris Corone nostre seu alterius iuris cuiuscumque competit seu competere potit, aut eo quod | aliqua mesprisio, defectus sive omissio alicuius materie seu verborum **quo ad singularem et expressam informacionem nobis in huiusmodi secta iuxta formam statutorum in hac parte editorum faciendum in presentibus factum non existit 0000** non obstante. | *Et insuper, ut iidem rector et Scholares Collegii praedicti, et eorum successores in eorum victu et vestitu aliisque eorum necessariis melius sustentarentur, ac onera que de verisimili inibi incumbere necessario oportet competentius valerent supportare, de uberiori gratia nostra concesserimus et licentiam dederimus, pro nobis, haeredibus, et successoribus nostris, quantum in nobis fuit, eisdem Rectori et Scolaribus et succesoribus suis praedictis, quod ipsi perquirere possent terras et tenementa, ac advocaciones ecclesiarum, ad valorem ducentarum librarum per annum, de terris et tenementis que tam de nobis in capite quam de aliis tenentur, ultra quedam maneria, terras, et tenementa, et prioratus, ac alia in literis predictis specificata, et ecclesias illas eis et*

*successoribus suis predictis appropriare, et in proprios usus tenere, habenda et tenenda eisdem Rectori et Scolaribus et successoribus suis predictis imperpetuum, absque molestatione, impetitione, seu impedimento nostri, vel heredum nostrorum, aut aliorum quorumcumque, statuto predicto non obstante. \ Dumtamen per inquisitiones, inde debite capiendas, et in Cancellariam nostram vel heredum nostrorum rite retornandas, compertum esset quod id fieri posset absque dampno seu prejudicio nostri, vel heredum nostrorum, aut aliorum quorumcumque. Absque aliquo feodo sigilli magno vel parvo [sic], aut fine quocumque nobis vel heredibus nostris, seu ad opus nostrum, vel eorundem heredum nostrorum, reddendo, solvendo, vel faciendo pro promissis vel aliquo promissorum, aut pro aliqua executione promissorum, seu alicujus eorundem, aliquo actu, ordinatione, statuto, restrictione, seu provisione, factis vel faciendis, non obstantibus. Et \ ulterius, de gratia nostra speciali, concesserimus pro nobis, vel heredibus et successoribus nostris, prefatis Rectori et Scolaribus et successoribus suis, quod ipsi et eorum successores imperpetuum essent quieti et exonerati erga nos, heredes, et successores nostros, ac ipsos Rectorem et Scholares et successores suos hujusmodi realiter et in facto exoneraverimus et acquietaverimus de omnimodis corrodiis, \ pensionibus, annuitatibus, ac aliis praestationibus quibuscumque alicui persone seu aliquibus personis, ad rogatum seu mandatum nostrum vel heredum vel successorum nostrorum, aliquantulum concedendis, solvendis, seu reddendis, que ipsi, ad hujusmodi rogatum seu mandatum hujusmodi persone seu personis concedere, solvere, seu reddere tenerentur, si dicta concessio \ nostra eisdem rectori et scholaribus et successoribus suis taliter facta minime extitisset. Et insuper, de uberiori gratia nostra, concesserimus pro nobis et haeredibus nostris, eidem Rectori et Scholaribus et successoribus suis imperpetuum, quod, quotienscumque et quandocumque Collegium illud, perpetuis extunc futuris temporibus, de Rectore, per mortem, cessionem, privationem, ammotionem, resignationem, aut \ alio modo quocumque, vacare contingeret, Scholares Collegii praedicti, pro tempore existentes, plene haberent et perciperent omnimoda exitus, reventiones, proventus, fructus, oblationes, obventiones, decimas, proficua, et emolumenta quaecumque, tam de maneriis, prioratibus, mesuagiis, terris, et tenementis predictis, et ceteris premissis quam de aliis terris et tenementis redditibus et servitiis, \ rectoriis, et aliis possessionibus spiritualibus seu temporalibus quibuscumque, prefato Collegio extunc concedendis, durante hujusmodi vacatione provenientia, secundum ordinationes et statuta predicta disponenda, que ad nos et heredes nostros ratione vacationis hujusmodi pertinerent, seu quoquo modo extunc pertinere possent, si dicta concessio nostra eis minime facta extitisset, absque molestatione, impetitione, seu impedimento nostri, vel heredum nostrorum, aut aliorum quorumcumque, et absque compoto seu aliquo alio nobis vel heredibus seu successoribus nostris inde reddendo imperpetuum per presentes. Et ulterius de uberiori gratia nostra concessimus quod quamquam Cancellarius noster vel heredum nostrorum Anglie pro tempore existens in Capellis et Collegiis regie fundationis seu **privatus existens 0000** iurisdictionem et visitationem ordinarias in dictis Capellis sive Collegiis et personis eorundem et aliter iuxta consuetudinem hactenus usitatam exercere consuevit, volumus et concedimus quod neque Cancellarius Anglie quicumque pro tempore fuit neque aliquis alius nomine nostro aut \ alicuius heredeum nostrorum aut Cancellarii Anglie huiusmodi iurisdictionem aut*

visitacionem aliquas in dictis Collegio Rectore Scholaribus seu alio supposito eiusdem Collegii vindicare habere gerere seu exercere possit quomodolibet infuturum. Set dicti Collegii Rectorem Scholares et ceteras personas eiusdem Collegii quascumque ab omnibus huiusmodi iurisdictione et visitacione | per personas supradictas seu successores earum quomodolibet, fiendi vindicandi seu **prebendi, 0000** perpetuis futuris temporibus liberos esse volumus et immunes, et quod predicta iurisdicio et visitacio eiusdem Collegii ac singularium personarum eiusdem ad Cancellarium universitatis nostre predictae qui pro tempore fuerit, iuxta ordinationes et statuta predicta ut promittitur faciendi | totaliter pertineant infuturum, aliqua consuetudine in contrarium usitata et obtenta, aut aliquo statuto sive ordinatione in contrarium facto seu faciendo non obstante. In cuius rei testimonium has litteras fieri fecimus patentes, teste me ipso apud Westmonasterium duodecimo die Februarii Anno regni nostri decimo nono.

Kirkeby

Per breve privato sigillo de data supradicta auctoritate parlamenti.